

PRAEFATIO.

Haec est constans cujusvis rei sacrae natura et indoles, ut, quo quis magis mente sincera et pia eam imbibit et colit, eo magis ejus attrahatur voluptate et instruatur luce. Quare studium rei sacrae, sive doctrinam tangat sive disciplinam, inter caetera est excellentissimum suavissimumque, quod, cum opulentia sua satiat, nauseam non praebeat, sed cultores de novo alliciat deliciisque suis semper trahat. Miramur opera veterum Auctorum tam grandia, tam voluminosa, nescii, qua manu scribere, quo tempore potuerint conficere. Interim semel pede recto ingressi aulam magnam depositi ecclesiastici, mox illam, mox aliam, prout tempus jubebat et ansa, arripuerunt materiam, imo et eandem tractarunt nonnunquam methodoque retractarunt eadem aut diversa, ut clarius elucescat veritas, firmitus roboretur doctrina latiusque dilatetur recta disciplina, Non erit necesse, hujus assertionis adferre exemplas cum sanctorum Patrum et antiquorum scriptorum opera, sufficientia sunt testimonia. Sufficit enim in memoriam Lectoris reducere S. Augustini, de Conjugio scripta,

cujus materiam sicut implicatissimam et obscurissimam, ita et nominat copiosissimam. Id quoque ego expertus sum annis plusquam quadraginta, idem tractans argumentum sive eandem de conjugio materiam. Anno enim 1807 typis Dusseldorpiensibus edidi Collectionem Dissert. elegantiorum de matrimonii vinculo in casu adulterii; dein anno 1819 contra C. J. de Lassaulx jussu Reverendissimi Vicarii Apostolici Aquisgran. librum singularem lingua vernacula de matrimonio et divortio, et ut mittam, quae in monumentis christiano-catholicis (*Denkwürdigkeiten*) hac de re largissime data sunt, anno tandem praeterlapso Confratrum parochorum provocatione Dissertationem theologico - pastora-lem, cujus scopum indicat titulus hic repetitus, exaravi obtulique et judicio superiorum et examini caeterorum.

Ad alteram hanc nunc de eadem quaestione scribendam Dissertationem non quidem me stricte impulit sed, caeteris silentibus, optatissime excitavit Domini H. J. Feye, Doctoris theologiae et in jure canonico Licentiati, Recensio prioris Dissertationis, edita in Ephemeridibus catholicis (*Revue Catholique*, Mai, Juin 1847) Lovaniensibus, quam latine versam praemittere congruum judico. Etenim ut loquar sincere, expectans argumenta adversariorum, alias plenis buccis sufflantium, quaedam reservavi, tempore, quo pugna instaret, prolaturus, quorum nunc nonnulla puncta Recensio Lovaniensis, ex conciliis praesertim Americanis attulit.

De caetero, antequam pergam, liceat mihi uti verbis Magistri Alcuini, quae leguntur libro I. contr.

Elipand. „Duo sunt, quae in errore hominum difficillime tolerantur, praesumptio priusquam veritas pateat; et cum patuerit, praesumptae defensio falsitatis. Ex his duobus coenosis rivulis omnis haereticorum pravitas emanavit. A quibus vitiis nimis inimicis inventioni veritatis et catholicae fidei indagationi, sive considerationi sacrarum scripturarum, si me, ut precor et spero, Deus defenderit atque munierit scuto bono voluntatis suae, et gratia misericordiae suae adjuvaverit, non ero segnis cum quaerentibus quaerere veritatis soliditatem et cum defendentibus defendere catholicae fidei sanctitatem (et ecclesiasticae disciplinae puritatem). Nec trepidus ero ad proferendam sententiam meam, in qua magis amabo inspicere a rectis, quam timebo morderi a perversis. Nullus enim reprehensor formidandus est amatori veritatis. Etenim aut inimicus reprehensurus est, aut amicus. Si ergo inimicus insultat, ferendus est: amicus autem si errat, docendus est, si docet quae recta sunt, audiendus: gratanter enim suscipit oculum columbinum pulcherrima et modestissima caritas: dentem autem caninum et evitat cautissima humilitas, vel retundit solidissima veritas.“ (Tom. I. oper. Alcuini edit. Frobenii pag. 790).

Omne tandem, praeter brevem elucidationem Recensionis, tendit hujus iteratae discussionis votum, scopus omnis, ad restituendam in matrimoniis mixtis praxeos, quae a linea recta decessit, uniformitatem legitimam. Etenim Nicolao I. Pontifice monente: „nec minus mala consuetudo (mala praxis), quam pernicio-

corruptela vitanda est, nisi citius radicitus evel-
latur, in privilegiorum jus ab improbis assumitur, et
incipiunt praevaricationes et variae praesumptiones ce-
lerrime non compressae, pro legibus venerari et pri-
vilegiorum more perpetuo celebrari.“ (Epist. III. ad
Hincmar. Rhemens. Tom. V. Concil. Harduini pag. 646).
Tristis sane, quam nullus ignorat, experientia et ora-
culi hujus apostolici testata est veritatem, et moni-
tionis sapientiam, utinam in cautelam praesentium et
posterorum.

